

05

A

1630



De
CREATIONE.

Utrum ea ex natura cognosci
queat?

Auspice Deo Creatore

ad d. XIV. Julii

in Auditorio Majori

Perl.

PRO LOCO

in Amplissima Facultate Philosophica
benevolè sibi concesso

publicè disputabit

M. JOHANNES SIMON,

Dresd. Sch. Opp. ConR.

RESPONDENTE

M. JOHANNES MANITIO, Elstr. Lus.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.

Anno M DC LIX.

*Nonj. Balchun
Junia*

AMPLISSIMÆ. FACULTATIS. PHILO-
SOPHICÆ.

SPECTABILI. DOMINO. DECANO.

SENIORI. MAXIME. VENERANDO.

COETERISQUE. PROFESSORIBUS.
PUBLICIS. CELEBERRIMIS.

VIRIS. ADMODUM. REVERENDIS. AM-
PLISSIMIS. CLARISSIMIS. EXCELLEN-
TISSIMIS.

DOMINIS. PRÆCEPTORIBUS. PATRONIS.
PROMOTORIBUS. SUBMISSE. SEMPER. CO-
LENDIS. OBSERVANDIS.



HAS. PAGELLAS.

GRATITUDINIS. ERGO.

D. D. C.

PRÆSES.

05 A 1630

In Salute Dei!

DISPUTATIO

De

CREATIONE,

quâ ostenditur

eam ex natura cognosci posse.

§. 1.

Antequam rem ipsam accedamus, Εισοδήσιον.

operæ pretium fuerit de nomine quædam præmittere. Est igitur, quantum ad etymon, Creatio ex Creo, cujus varias penes Scriptores allusiones videre licet. *Becmann. de Origg. L.L.* Origo ζ creo, est $\eta\epsilon\gamma\acute{\alpha}\iota\omega$ & eliso N. $\eta\epsilon\gamma\acute{\alpha}\iota\omega$, i. e. efficio, perficio, creo. Aut potius ab Ebræo נָצַר mutatâ prima, i. e. creavit, ex nihilo produxit. Juxta *Festum* cognata sunt duo illa verba, Creare & Cernere, quòd, quando quid creatum sit, tum demum cernatur. Cujus (Festi) proinde Etymologiam vocat *B. Chemnit. LL. CC. part. 1. f. m. 105.* Plura videantur ap. *Dn. D. Kloz. Theol. Nat. Disp. 15. th. 1.*

§. 2. Cæterùm creandi actus variis vocabulis solet designari. *Cicero*: Deus, qui omnia genuit. *In Carminib. Orphei*: $\epsilon\acute{\iota}\varsigma\ \epsilon\acute{\varsigma}\ \alpha\upsilon\tau\omicron\gamma\epsilon\nu\eta\varsigma\ \epsilon\nu\omicron\varsigma\ \epsilon\kappa\gamma\omicron\nu\alpha\ \pi\acute{\alpha}\nu\tau\alpha\ \tau\acute{\epsilon}\tau\epsilon\kappa\tau\alpha\iota$. In sacris literis quibusnam vocibus exprimat, vide sis ap. *Chemnit. l.c.*

§. 3. Cum primis verò notandum, ne quid damni de Errorum Genetrix, Creationem quandoq; sumi non tam pro ipso creandi actu, quam pro *termino creationis*. Videlicet creaturas notat, easq; tum in genere *Marc. 13, 19. Rom. 1, 20. & c. 8, 2.* tum in specie homines *Marc 16, 15.* Actum quando significat iterum sumitur vel in sensu latiori pro operis alicujus eximii & stupendi miraculi productione, uti videre est. *Num. 16, 30.* & peculiariter hominis regenerationem & renovationem, *Pf. 51, 12. Pf. 102, 19. & c. vel in strictiori, cum ex materia prorsus inhabili*

Λ 2

habili

habili & inidonea penitus aliquid creari dicitur; & nostræ tractationi convenientissimè, quando quid omnipotenter ex puro non ente producere notat. Sed ad rem.

*Oikonomia
tractationis.*

§. 4. De τῷ ὄντι Creationis nullum dubium esse potest, ad Scripturam S. si respiciatur; verum eandem ex libro etiam naturæ constare hîc docendum. Ut verò distinctè procedamus, primùm de possibilitate creationis, dein de actuali creatione præcisè, post de creatione in tempore facta dicemus. Etenim, sive spectes possibilitatem Creationis, sive Creationem actualem absolutè consideres, sive tandem creationem in tempore, indeterminatè intelligendo, attendas, semper obviam erunt argumenta ex naturæ deducta lumine, ex quibus haut obscure omnia ista colligere liceat.

*Sect. 1. de
Creationis
possibilitate
Subsect. 1. sententiarum
divortia exponens.*

§. 5. Possibilem esse Creationem negare *Aristotelem* 1. *Phys. t. 51. usq. ad 60.* & *Platonem* putat Franc. B. *Spei Phys. part. 1. tr. 2. disp. 8. Dub. 1. Res. 2.* quam mentem quoq; Aristoteli tribuunt quidam ex antiqq. Philosophis citati à *Conimbric. l. 8. Phys. c. 2. quæst. 2. art. 2.* qui tamen ab hisce in eo dissentiunt. *Gabrielem* quoq; *Gregor. Passol.* negantes introducit *Svarez. disp. 20. Metaph. sect. 1. n. 6.* Affirmant contra *Thomas, Scotus* aliiq; quos citat & sequitur *Svarez. l. c. n. 7.* quibus etiam accedit B. *Spei l. 1.*

*Subs. 2. The-
sin, ejusque
confirmatio-
nem tradens.*

§. 6. Nec immeritò. Possibilitatem enim Creationis testatur primùm *summa Dei perfectio*, quâ ut in essendo, ita & in operando independens existit. Neq; enim conveniens est, ut qui in esse suo à nemine pender, in operando à quoquam dependeat. Quòd si verò independens prorsus Deus est, minus difficulter è nihilo, quàm è materia aliquid producere poterit: siquidem, quod materiam ad operationem prærequirit, non omni prorsus modo independens est.

§. 7. Deinde *annihilandi*, quæ in Deo est, *potentia* suffragatur. Non minoris est virtutis Ens ad non-ens simpliciter traducere, quàm è puro non-ente ens efficere. Quis verò illam Deo denegaverit? quis Deum necesariò res creatas conservare dixerit? cessante autem hoc conservativo influxu creaturam perire & in nihilum reverti oportet. Ut adeo nihil causæ sit, cur potentiam creandi Deo adscribere nolimus.

§. 8. Ac

§. 8. Accedit, quæ penitus rem persuadet, *possibilitatis ratio*. Cum enim nullam creatio importet contradictionem neq; ex parte Dei, neq; ex parte rei, efficitur velis, nolis, è numero possibilium creationem esse. Pluribus eam in rem Vid. *Excell. Dn. D. Scharff. Pneumat. l. 2. c. 5. B. Jac. Mart. Partit. Metaph. l. 1. sect. ii. qv. 4. & præcipue qv. 1. Kloz. Theol. Nat. Disp. 15. §. 5. Slevogt. disp. i. de Creat. th. 2.*

§. 9. Quibus diversum placet nituntur hypothesib. vel *Subsect. 3. ob-* aperte falsis, vel ambiguis, non sine æquivocationis fuco ac- *jecta resol-* commodatis. Quale & illud est: *ens, in quantum ens, fieri vens.* non posse ex quo repugnantiam creationis exsculpere volunt, uti videre est ap. *Svarez. l. c. disp. 20. sect. 2.*

§. 10. Ast ambiguitate laborat particula limitativa, quæ si tollatur, in facili erit, argumentum solvere. Quatenus sumitur vel *αιπολογικως* vel *οερισικως*. Illo sensu falsum erit, quod per creationem fiat ens, quia ens: siquidem à τὸ quatenus sic sumpro ad τὸ omne valet consequentia, quod hic non procedit, nisi aliquod ens, primum videlicet cætera producturum, à se ipso fieri statuere velis. Hoc sensu falsum, ens, in quantum ens, fieri non posse. Quando ex non-ente fit ens, fit certè ens, in quantum ens est, h. e. secundum suam propriam entitatem. Ideoq; ut verbo dicam: *Si τὸ quatenus sumitur αιπολογικως vacillat consequentia, licet assumptum verum sit; si autem οερισικως accipiatur, illà admittat, hoc negamus.* Neq; aliò pertinent probationes, quas habet Svarezius. *Majorem sc. probat, quia, si aliquid fit ex nihilo, fit per se primò secundum totam rationem entis.* Talis g. Majoris prosyllogismus erit: *Si in Creatione aliquid fit per se, primò, secundum totam rationem entis, sequitur in Creatione fieri per se, primò in quantum ens est. Atqui in Creatione fit aliquid & c.* quia ibi fit aliquid ex nihilo. E. R. Major non nisi hoc pacto limitata admittitur. Si in Creatione aliquid fit per se, primò, secundum totam rationem entis, fit ens in quantum ens est sensu specificativo. Quid jam hic prosyllogismus facit ad probationem Majoris negatæ, prout sensu *αιπολογικω* sumitur. *Minoris prosyllogismus primus est, uti à Soario proponitur.* *Si ens, in quantum ens, esse*

A 3

facti-

factibile, omne ens foret factibile. Sed falsum posterius E. & prius R. si ens, in quantum ens, (limitatione ἀνωλογικῶς sumtā) eslet factibile, omne ens eslet factibile. Quid jam concluditur? hoc, quod ens, quā ens, sensu reduplicativo, non sit factibile, quo sensu Minor haud fuit negata. Secundus syllogismus ita habet. *Quicquid abstrahit ab entitate secundum esse existentia, & secundum esse essentia, id non potest fieri. At qui ens, in quantum ens abstrahit ab entitate & c.* E. sufficiat hic negāte Minorem: quoniam ab ente in potentia & ente actu rationem quandam communem abstrahi non posse alibi docetur. Abstrahit ens, quā ens est, ab entitate subsistente & inhærente, quæ utraq; actu existit. Hæc de creationis possibilitate.

Sect. II. de
Creatione
actuali
Subs. 1. dissen-
sum Autorū
exhibens.

§. 11. Creationem actualem ex principiis Philosophicis innotescere, negant omnes, quotquot possibilitatem ejus infirmitantur. Asserunt verò eandem beneficio rationis Thomas part. 1. summ. qv. 44. art. 1. & lib. 2. sent. dist. 1. art. 2. & 3. Scot. in quodlib. qu. 7. & lib. 2. sent. dist. 1. qu. 3. quos allegat Slevogt. U.S. Conimbricenses l. 8. Phys. c. 2. qu. 2. art. 1. Svarez. disp. 20. Metaph. sect. 1. dist. 15. seqq. & qui ipsum è nostris sequitur B. Jac. Mart. Partit. Metaph. sect. cit. qu. 1. Scharff. Pnev. l. c. p. 82. 83.

Subs. 2. conti-
nens κατὰ τὴν
ἰδέαν.

§. 12. In probanda Creatione actuali sic procedunt Conimbricenses, ut ostendant primū, ex imperfectione reliquorum præter Deum entium, solum Deum à seipso cætera omnia ab alio esse. Rectissime. Etenim, quod imperfectum est caret aliqua perfectione possibili: quod caret aliquā perfectione possibili finitum est; quod finitum est, quum habeat fines essentia, ab alio, quod istos posuit fines, dependet. Deinde etiam Creationem ex eo optimè colligunt, quòd dentur quædam, quæ per Creationem produci nequeant; quanquam malè ad ingenerabilia trahant, quæ vel producta non sunt, vel generatione perinde atq; creatione produci possunt. Manet interim argumentum: *Si datur ens productum per Creationem tantum producibile, Creatio facta est.* Sed verum prius. E. consequentia patet. Pro assumpto probando sufficet adduxisse materiam primam.

§. 13. SvA.

§. 13. *Svarez* distinctè nititur ostendere creationem corporum cœlestium & subcœlestium, ut & substantiarum immaterialium. De corporibus cœlestib. probat partim productionem ut sic, partim determinatum producendi modum. Pro illa ex mente *Soarii* sic licet argumentari: *Quicquid est finitum & longè ignobilius aliis rebus productis, non est increatum, sed productum. Corpora cœlestia sunt finita & longè ignobiliora aliis rebus productis.* E. Major quoad prius membrum patet: quoad posterius probatur ex eo, quia increatum longè nobilior est, quâvis re productâ. Quoad Minorem, finitatem corporum cœlestium evincit trium illud, inq; scholis Philosophorum receptissimum: Infinitum non nisi unum est. Quod verò minus nobilia sint corpora cœlestia aliis rebus productis vel unicum hominis exemplum edocere potest. Neq; enim opus est, ut ad pleniorum probationem assumamus hypothesin de intelligentiis cœli motricibus, uti quidem facit *Svarez*, qui ex eo, quod cœli extrinseco motore indigeant, colligit eos quoq; ex sese esse non habere. Idem pronunciandum de cœlorum virtutibus, sitibus ad spectibus ita constitutis, sicut expediebat ad conservationem inferiorum rerum & earum generationes & corruptiones, unde *Svarez* aliquod etiam subsidium petit. Perperam enim hoc admisso arguit, cœlos non esse à se, sed conditos fuisse à communi omnium autore. Patet id ad oculum, si influxum Dei conservativum spectemus, qui & ipse ita comparatus est, prout expedit ad conservationem inferiorum rerum, earumq; generationes & corruptiones. Nemo tamen exinde concluderit, Deum non esse à se, sed ab alio productum esse. Hæc sunt, quæ *Svarez* de productione corporum cœlestium disserit.

§. 14. Pergit ibidem ad ostendendam Creationem hoc pacto: *Si cœli, inquit, facti sunt, interrogo rursus, an constent ex materia elementorum, & ideò ex illa sint facti, & sic eadem ratio erit de illis, quæ de rebus generabilibus; an verò constet ex materia altioris rationis, vel sint simplicia entia, & sic concluditur non nisi per creationem factos esse, quia si sunt simplicia, nullo modo poterunt aliter fieri, ut per se manifestum est.* Si verò constant
supe-

superiori materiâ, ideò est, quia sunt ingenerabiles, ideoq; per so-
lam creationem fieri potuerunt. Habemus itaq; cœlos, cum
producti sint, non nisi creatione produci potuisse.

§. 15. De Elementorum & Mixtorum creatione idem
Svarez hunc in moqum οὐδ' οὐ γίγνεται. O. productum vel est crea-
tum vel generatum: duo enim tantum sunt modi producendi
substantias. Elementa & Mistra sunt producta. E. Porro: Ele-
menta & Mistra vel sunt creata vel sunt generata. Atqui non sunt
generata. E. sunt creata.

§. 16. Hi syllogismi boni satis sunt, licet in probandâ
Minore prioris non parum hallucinetur Svarez. Urget enim
ibi, quod in omnibus speciebus mundi inferioris occurrant indivi-
dua, quæ non habeant esse à se, sed fiant. Itaq; ne individua unius
speciei differre ut productum & improductum absurde dicas, agno-
scendum erit, omnes species, omniaq; singularum specierum indi-
vidua producta esse. Quod quidem de speciebus Mixtorum
posset concedi; quoad Elementa autem, quia eorundem gene-
rationem falsò supponit, non urget argumentum. Erenim
quis nostrum vidit aquam fieri? quis terram, aerem aut ignem?
facta ea esse novimus, cum omnia primitus fiebant; hodiè ea
fieri, ne ullo quidem probato constat testimonio. Quid?
quod incorruptibilia sint Elementa, & talia quoq; ratione
esse totius habeantur in Peripato, qui ergo ad ea generatio
spectabit. Neq; hilum valet exceptio Svarezii: non assignari
elementis incorruptibilitatem intrinsecam per constitutionem na-
tura: (hoc modo enim eandem esse naturam totius & partium
presertim homogenearum) sed incorruptibilitatem ex virtute &
modo agendi causarum naturalium, quia sic nunquam possunt ele-
menta secundum se tota corrumpi, absolutè tamen generabilia esse,
& sic non potuisse ex se habere esse sine effectione. Incorruptibi-
litas Elementorum utiq; intrinseca est per constitutionem na-
tura. Quicquid enim non est conflatum ex principiis pu-
gnantibus ab intra incorruptibile est. Neq; obstat, quod par-
tium homogenearum eadem sit natura, quæ totius est: pro-
banda enim non temerè asferenda partialis elementorum cor-
ruptibilitas, quæ ab accuratioribus Physicis alioqui rejicitur.
Incor-

Incorruptibilitatem ex virtute & modo agendi causarum naturalium, non partibus tantum, sed totis elementorum tribuendam putamus. Ideoq; quod exinde deducit Svarez, *ea sc. absolutè generabilia esse*, negamus & potius hoc totum invertimus. Sed hæc ad Physicos spectant. Utut autem hæc sese habeant, verissimum tamen est, quod Elementa æquè ac corpora mista primitus à Deo producta sint. Vide sis ea, quæ §. 12. ad argumentum Conimbricensium annotavimus.

§. 17. Jam firmo stat talo primi Syllogismi conclusio, videl. Elementa & Mistra aut creata aut generata esse. Probandum porrò fuerit, quod non sint generata. Id quod optimè expedit Fr. Svarez, cujus non verba (cum brevitati studeamus) sed sensum dabimus. *Si facta sunt Elementa & Mistra, aut ex materia aut ex nihilo producta sunt. Si hoc, habemus Creationem. Si illud, materia ex qua facta sunt, aut à se aut ab alio erit. Sed à se esse nequit, quod probatur 1. quia prima isthac materia est infimum omnium substantiarum, ut patet. Consequentia firma est, quia infimum non potest habere majorem perfectionem superioribus, haberet autem si independentiâ, quam nulla superior habet, gauderet. 2. probatur idem hoc dilemmate: Materia formæ expers, qualem primam esse oportet, vel caret formâ in statu naturali vel in præternaturali. Non illud E. hoc Porro: quod existit in statu præternaturali non est ens à se Materia expers formæ per priorem conclusionem ita existit. E. Cum itaq; materiam primam ab alio esse constet, neq; tamen ex alia, cum prima sit, producta fuerit, eandem ex nihilo productam s. creatam esse, sponte sequitur. Pulcherrimè hoc argumentum pertractat Dn. D. Kloz Pnev. p. 807. quem vide, si placet.*

§. 18. Deniq; etiam Intelligentias creatione productas ostendit Svarez. *Productionem ut sic, cum ex eo, quod repugnet dari plura entia improducta, tum etiam exinde, quod ens improductum sit infinitè perfectum in genere entis. De modo productionis hæc habet: ex eo autem quod Intelligentia habent causam efficientem evidenter infertur, necessariam esse creationem, ut illæ sint, quia cum non habent causam materialem, ut*

B

supra

supra tactum est, non possunt per alium productionis modum fieri, quam per creationem, quod optimè confirmat productio animæ rationalis, quæ esse non potest, nisi creatio, quia non esteductio de potentia naturæ. Quæ satis commodè dicuntur, si tantum illud excipias, quod de productione animæ rationalis asuit. Falsissimum enim (nequid gravius dicam) falsissimum, inquam, est, non aliam animæ rationalis productionem esse posse præterquam creationem. Nemo dixerit ea, quæ ordinariè fiunt, à Deo immediatè fieri: nemo admiserit patrem filii causam æquivocam esse. Ut taceam absurda Theologica. Neq; eo rem persuadet Svarez, quum à negatione eductionis ad positionem creationis procedit insufficienti partium enumeratione. Fernelius & ipsa veritas nullam formam educi evincit; neq; tamen ideò vel Fernelius vel veritas omnium reliquarum formarum creationem docet. Licet negemus & eductionem & creationem formarum, non deest tertium, quo earundem ortum exprimere queamus. Scilicet nunquam eductæ illæ, aliquando creatæ, semper post primam creationem traductæ sunt. Hæc de Svarzii argumentis exponenda videbantur. Plura vide ap. Kloz. U. S.

subsect. 3.
 continens
 ἀντιπληθόντων
 ὀπίλουσιν

§. 19. Objicitur ex adverso *autoritas Aristotelis, Platonis aliorumq; Philosophorum*, qui creationem dicuntur non cognovisse. Verum enim verò Aristotelem quod concernit, non usq; adeò certum est, eum creationem non agnovisse. Multi creationem eum latuisse senserint, idq; ex principiis ejus probaverint, quos adducunt Svarez *diff. 20. Metaph. sect. 24. & Conimbr. in l. 8. Phys. c. 2. qu. 2. art. 2. A.* negant tamen id ipsum cum Avicenna, Thoma, Scoto aliisq; Conimbricenses l. c. D. idq; adstruunt ex variis textibus Aristotelis, quod & facit Fr. Svarez l. c. sect. 25. 26. Ex aliis, si quidam fuere, qui id negare ausi fuerint; multos tamen etiam re ipsa eam agnovisse ex Justino Martyre, Augustino, Lactantio, Eugubino docet Colleg. Conimbric. U. S. art. 1. lit. E. Nos cum Dn. Scheiblero l. 2. Met. c. 3. n. 673. istas criticas contentiones de sensibus vel sententiis autorum non magnoperè curamus. Quicquid sit de Aristotelis Platonis vel etiam plerorumq; Philosophorum sententia,

gentia, sufficit quod unus atq; item alter naturæ lumine ean-
dem cognoverit. Quæ naturæ lumine cognita sunt, non ilicò,
ut rectè monet ibidem Scheiblerus *requirunt assensum apud
omnes. De Deo, tum quod sit Deus tum quod unus sit naturaliter
cognosci potest. Neq; tamen omnes iis conclusionibus assentiun-
tur, & ne quidem est illud loquendo de sapientiorib. Ethnicis:
nam & quandoq; magnus (quæ multiplex nostra imperfectio est)
dormitat Homerus.*

§. 20. Franc. B. Spei Phys. part. 1. tr. 2. Disp. 8. Dub. 1.
inter objectiones Adversariorum & hanc proponit: *Non vi-
detur ipse Deus solo naturali lumine certò cognoscibilis. E. multò
minus creatio.* Sed ex falsa hypothese procedit argumentum.
Ex solo naturali lumine certò cognoscibilis est Deus licet illa
cognitio non sit plena & salutaris. Pervenimus in Dei noti-
tiam triplici viâ, eminentiæ sc. negationis & causalitatis. Ad-
hæc conscientia etiam eorum, qui nefando quicquam de Deo
acceperunt, esse supremum aliquod Numen, vindicem sce-
lerum testatur. Quid? quod Deum esse inter principia theo-
retica referatur: principia autem certò non cognosci cum cer-
tò cognoscantur conclusiones, oppido absurdum est. Satis
verborum de creatione actuali præcisè; videndum erit posthac
de creatione in tempore facta.

§. 21. Quam ex natura cognoscibilem non possunt non negare, qui creationem ab æterno fieri potuisse statuunt; sicut contra creationem in tempore factam in promptu est colligere, si ab æterno eandem fieri non posse fuerit ostensum. Etenim si supponatur actualis creatio, & verò eandem ab æterno factam esse repugnet, sponte sequitur, quicquid creatum olim est, in tempore creatum esse. De eo igitur hic disceptandum venit, sit ne possibilis ab æterno creatio, an verò simpliciter repugnet creaturam ab æterno fieri. Varia hîc Philosophorum placita reperias aliis possibilitatem asserentibus, aliis impossibilitatem urgentibus.

§. 22. Creaturam permanentem potuisse esse ab æterno cum *Thoma, Cajetano, Hervæo & aliis tradit Durandus, & vi-
detur consentire Scotus, uti videre est ap. Gabr. Vasquez Tom. 1.*

*Sect. III. de
Creatione in
tempore fa-
cta.*

*Subs. 1. sen-
tentias auto-
rum enume-
rans.*

Disp. 177. consentiunt Conimbric. l. 8. Phys. c. 2. qu. 7. art. 1. Arriaga disp. Phys. 17. se. 7. 2. subs. 2. Oviedo Phys. contr. 19 punct. 1. §. 2. Suarez. disp. 20. Metaph. sect. 6. n. 11. immo non tantum permanentem creaturam, sed etiam perpetuum cœlorum motum, generationes & corruptiones ab æterno sibi succedentes, inter quas non esset prima, apud eundem Vasquez l. c. c. 4. n. 14. Gregor. Ariminensis, Occam, Cajetanus, Capreolus, Thomas Hervæus aliq; Vasquez ipse l. c. c. 5. n. 16 existimat multo probabilius totum hoc universum potuisse esse ab æterno, non solum quoad substantias & res permanentes sine corruptione per infinitam durationem; sed etiam quoad motum: non autem quoad generationes tam formarum substantialium, quam accidentium. Conimbricenses nullum finitum motum, sicut nec rectum infinitum absq; reflexione potuisse ab æterno fieri asserunt l. 8. Phys. c. 2. qu. 7. art. 2. an verò idem rectus infinitus cum reflexione, itemq; circularis ab æterno potuerit fieri, nec ne, in medio relinquunt utramq; sententiam probabilem habentes, licet probabilior negativa ipsis esse videatur l. c. art. 3. & 4. de generationum & corruptionum æternitate eandem fovent sententiam, maximè probabilem habentes negativam; quod videlicet istæ non potuerint esse ab æterno. Oviedo l. c. punct. 3. §. 2. sentit motum, aliudve ens successivum nullam involvere repugnantiam, generationum seriem ab æterno esse non potuisse defendit ibidem punct. 2. §. 2. seqq. quod posterius, nempe de generatione etiam tuetur Arriaga Disp. Phys. 17. sect. 1. §. 2. & 5. Nullam verò prorsus creaturam potuisse produci ab æterno sententia est Alberti, Heinrici, Marsilii, Clichtovei, Bonaventuræ ap. Vasquez supra citato cap. 2. §. 3.

Subf. 2. in qua
 confirmatio
 thesicos si-
 bitur.

§. 23. Quanquam verò difficultate haud carere rem omnino fateamur; magis tamen placet Marsilii & Bonaventuræ sententia. Quam & probare annitemur cum Marsilio hunc in modum: *Si aliqua creatura ab æterno produci potuerit, deberet per creationem. Sed per creationem non potuit produci. Ergo non est possibile creaturam ab æterno produci. Consequentia per se patet. Assumptum probatur, quia creatio est productio ex nihilo;*

nihilo, nihilum g. præcedat oportet rem creatam. Excipit Vasquez. l. c. n. 12. illud nihil, ex quo dicitur aliquid creari, non debere duratione præcedere creationem, & ita benè posse intelligi æternam creationem ex hoc solum, quod res illa ab æterno producta ita à Deo procederet, ut ex se in nihilum cederet, si relinqueretur; quemadm. conservatio rei secundum se totam dicitur creatio quædam continua; non quia præceserit nihilum duratione rem ipsam, antequam inciperet, sed quia continuò in nihilum redigeretur, nisi à Deo conservaretur. At perstat adhuc probatio nostra, his ictibus cedere nescia. Etenim gratis dicitur illud nihil, ex quo dicitur aliquid creari, non debere duratione præcedere creationem. Tam facile g. à nobis rejicitur hoc postulatam, quam à Vasquezio affertur. Contra ex annihilatione satis liquet, illud nihilum, ex quo quid creari dicitur, cum re creatâ non posse in eodem durationis instanti convenire. Quemadmodum, quando res in nihilum redigitur, illud nihilum duratione (tantisper ita loqui liceat) sequitur annihilationem; neq; enim pro annihilato haberi poterit, quod nulla, nequidem infinita, excedit duratio: ita quando res è nihilo producitur, hancce rem productam antecedere oportet durationis saltem momentum. Neq; benè, ut ipse autumat, intelligi potest æterna creatio ex hoc solum, quod res illa ab æterno producta ita à Deo procedat, ut ex se in nihilum cederet, si relinqueretur. Non ex nuda dependentia in esse seu conservari æstimanda creatio est. Dependere in fieri & dependere in esse distincti dependentiæ modi sunt, neq; alter alterum formaliter includit. Conservatio dicitur creatio quædam continua, quia à creatione realiter non differt, quippe nihil superaddens ei, quam permanfionem in influxu semel inchoato. Neutiquam verò ita accipi debet hoc, ac si singulis momentis, quibus res conservatur, denuò è nihilo producat. Nulla igitur consequentia est: Si conservatio rei non involvit formaliter hoc, ut nihilum duratione rem ipsam antecederet, antequam inciperet; neq; ad creationem in suo formali spectatâ hoc erit necessarium. Ratio negationis, quia quæ formaliter distinguuntur, distinctas quoq; rationes for-

males habent, neq; quod in alterius conceptu formali non includitur, ilicò & ad alterius formalitatem non spectat. Sicut indivisio non est formalis ratio entis, bene tamen unitatis, ut ut hæc à parte rei non distingvantur: ita licet creatio & conservatio realiter distincta non sint, ex eo tamen non efficitur eandem prorsus utriusq; formalem rationem esse. Neq; consequentiæ illi robur aliquod accedit per hoc, quod conservatio dicitur creatio continua: dicitur enim conservatio continua quædam creatio, prout à parte rei à creatione distincta non est s. quat. & creatio & conservatio est unus idemq; influxus in esse creaturarum, qui pro creatione concipitur ut inchoatus, pro conservatione, ut continuatus. Non autem necesse est, ut, quia materialiter est continua quædam creatio, eadem quoq; formalis ratio creationis, quæ conservationis, sit.

§. 24. *Oviedo l. S. §. 5.* dicit rem fieri ex nihilo, non est fieri ex negatione sui, sed nullo præsupposito subjecto, ad quod non requiritur præcessisse prius tempore negationem; nihil enim vetat ab æterno existere actionem nullum subjectum respicientem. Eadem habet *Arriaga l. c. subsect. 1.* Ast uterq; peccat, in eo, quod non opponenda opponant. Utrumq; notat tò fieri ex nihilo, carentiam sc. subjecti, ex quo creatura producat, & nihili in reali duratione præcessionem. Neq; est existimandum, quod si quædam actio nullum subjectum respiciens possit esse ab æterno, nulli id ipsum repugnare. De actionibus divinis internis nullum est dubium; sed id ad externas illicò trahere non licet, sæpè quæ alicui conveniunt, oppositæ speciei prorsus repugnant. Hoc unicùm pro confirmanda nostra sententia argumentum sufficiat; plura desiderantem ad *Dn. D. Klozii Pnevm. p. 828. seq.* remittimus. Nos ad ea, quæ Antagonistæ afferunt properamus.

Subsect. 3. in qua objecta solvantur.

§. 25. Hi omnem movent lapidem, ut ostendisse videntur, aliquid potuisse ab æterno produci. E multis saltem ea videamus, quæ *Arriaga Disp. 17. Phys. sect. 2. subf. 2.* in medium producit. *Probabilius, inquit, censeo potuisse ab æterno produci creaturam aliquam, quæ per durationes successivas duraverit. Probo id primò, quia nulla videtur in eo esse repugnantia,*

ria, quod Deus etiam creaturam ab aeterno produxerit, imò vide-
tur necessariò dicendum, potuisse. Sicut enim dum de infinito
disputavimus ideo diximus posse illud à Deo produci, quia quolibet
numero producto adhuc potuit Deus in eo instanti alium majorem
producere, & illo producto alium majorem: ita similiter in præ-
senti cognoscit Deus se ante mille annos potuisse producere Petrum
& ante alios mille & sic in infinitum, cumq; gradatio hæc fiat in
instanti, non est cur negetur à Deo cognosci totum tempus à parte
ante, & se in quolibet istorum potuisse producere Petrum. Hactenus
Arriaga, qui primum in eo fallitur quod existimet creaturam
ab aeterno existentem, durasse per durationes successivas.
Quod si enim durat per durationes successivas, non existet ab
aeterno. In omni duratione successiva prius & posterius est;
in aeternitate autem tale quid non licet cogitare. Adde, quod
eâ ratione sequeretur infinitum successivè percurri posse, quod
repugnat conceptui infiniti. Nullam in eo esse repugnan-
tiam quod Deus creatum ab aeterno produxerit, κενόμενον est:
ostendimus istam repugnantiam in κατασκευῆ. Neq; argu-
mentum nos movet: Si Deus quovis numero creaturarum
producto alium majorem in infinitum potest producere, ergò
etiam cognoscit Deus se Petrum ante mille annos & iterum
ante alios mille annos, & sic in infinitum producere. Etenim
falsum esse assumptum ilicò reponimus. Causam quæris?
actu infinitum in numero non datur, implicat g. ex parte rei
produci creaturas numero infinitas. Quanquam igitur Deus
ferè infinitas creare possit, nec facile dici possit, vel maximo
creaturarum numero producto Deum majorem producere
non posse: attamen omne quicquid est producibile & numero
& duratione verè finitum esse negari non debet.

§. 26. Pergit Rodericus: secundo id benè probatur ab Hur-
redo, quia causa & effectus possunt esse æquales in duratione, ut
patet in sole respectu lucis, in essentiis respectu passionum. E. potuit
angelus esse in duratione æqualis Deo. Respondemus, quæ con-
sequentia? quidam effectus potest æqualis esse causæ ratione
durationis. E. omnis effectus potest. Esto in causis secundis
id posse fieri, aliter tamen se res habet cum causa prima cre-
ante.

ante. Effectum duratione æqualem esse causæ suæ nil prohibet, dummodo duratio ea finita sit, quales effectus sunt lux respectu solis & passionem respectu essentia: si autem causa infinitam habeat durationem, quoad eam æqualem esse effectum *αδύνατον* est, cum, quod in esse suo finitum est, in duratione infinitum esse non possit.

§. 27. Tertium argumentum ita habet: *Sicut Deus ab æterno liberè est determinatus ad producendum Petrum, ita ut actus ipse liber fuerit ab æterno, etiamsi potuerit non esse, cur similiter non potuit liberè ab æterno Petrus ipse produci, etiamsi existere contingeret.* Verum enimverò distingvendum hic inter ipsum volitionis actum & ejusdem objectum. Ille est decretum de producendis creaturis, quod ab æterno fuit in Deo: hoc sunt creaturæ, non ab æterno, sed in tempore producendæ. Voluit enim Deus ab æterno quidem productionem creaturarum, sed non voluit productionem, quæ fieret ab æterno. Non procedit igitur consequentia. Si Deus ab æterno liberè est determinatus ad producendum Petrum, Petrus ab æterno potuit produci, id quod facile ostendere possemus instantiis de missione Filii Dei ad redimendum genus humanum, itemq; de regeneratione, nisi ad aliam cathedram hæc spectarent. Damus interim rationem negationis, quia voluntas divina ab æterno liberè determinata est ad quævis volita, neq; tamen ea omnia ab æterno extiterunt, aut existere potuerunt. Ut verò minus iniqui in Arriagam videamur esse limitamus propositionem hoc modo: Si Deus ab æterno liberè est determinatus ad producendum sc. ab æterno Petrum, Petrus potuit produci. Jam probari denuò assumptum petimus, quod fore speramus ad Kalendas Græcas. Tantùm hac vice de Creatione. Tibi, Creator, Gloria!

Επιούριον.

I. Creationem actionem transeuntem & sano sensu mutationem dicere nulli dubitamus

II. Ulli creaturæ ut causæ principali convenire posse pernegamus.

05 A 1630

ULB Halle

3


003 780 066



1017







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

TIONE.

tura cognosci

Creatore
Julii
Majori

Perl.

OCO

tatē Philosophicā
concesso

utabit

ES SIMON,

p. ConR.

ENTE

NITIO, Elstr. Lus.

RGÆ

RI, Acad. Typogr.

C LIX.

Noy. Balchen
Anna